

Version latine n°7 : l'affaire des poissons

Apulée est au tribunal, où il doit se défendre contre une accusation de sorcellerie : il aurait usé de moyens magiques, et notamment de certains poissons qu'il se serait procurés spécialement, afin de séduire et d'épouser Pudentilla, une riche veuve.

Nunc, ut institui, proficiscar ad omnia Aemiliani¹ huiusce deliramenta, orsus ab eo quod ad suspicionem magiae quasi ualidissimum in principio dici animaduertisti, nonnulla me piscium genera per quosdam pescatores pretio quaesisse. Vtrum igitur horum ad suspectandam magian ualet ? Quodne pescatores mihi piscem quaesierunt ? Scilicet ergo phrygionibus aut fabris negotium istud dandum fuisse atque ita opera cuiusque artis permutanda, si uellem calumniis uestris uitare, ut faber mihi piscem euerreret, ut pescator mutuo lignum dedolaret. An ex eo intellexistis maleficio quaeri pisciculos, quod pretio quaerebantur ? credo, si conuiuio uellem, gratis quaesissem. Quin igitur etiam ex aliis plerisque me arguitis ? Nam saepe numero et uinum et holus et pomum et panem pretio mutauit. Eo pacto cuppedinariis omnibus famem decernis ; quis enim ab illis obsonare audebit, si quidem statuitur omnia edulia quae depenso parantur non ceneae, sed magiae desiderari ?

Quod si nihil remanet suspicionis, neque in pescatoribus mercede inuitatis ad quod solent, ad piscem capiendum (quos tamen nullos ad testimonium produxere, quippe qui nulli fuerunt), neque in ipso pretio rei uenialis (cuius tamen quantitatem nullam taxauere, ne, si mediocre pretium dixissent, contemneretur, si plurimum, non crederetur) — si in his, ut dico, nulla suspicio est, respondeat mihi Aemilianus, quo proximo signo ad accusationem magiae sit inductus.

« Pisces » inquit « quaeris ». Nolo negare. Sed, oro te, qui pisces quaerit, magus est ? Equidem non magis arbitror quam si lepores quaererem uel aplos uel altilia. An soli pisces habent aliquid occultum aliis, sed magis cognitum ? Hoc si scis quid sit, magus es profecto ; sin nescis, confitearis necesse est id te accusare quod nescis. Tam rudis uos esse omnium litterarum, omnium denique uulgi fabularum, ut ne fingere quidem possitis ista ueri similiter ? Quid enim competit ad amoris ardorem accendendum piscis brutus et frigidus aut omnino res pelago quaesita ? nisi forte hoc uos ad mendacium induxit, quod Venus dicitur pelago exorta.

Apulée

¹ Sicinius Emilianus, frère du défunt premier mari de Pudentilla, représente la partie adverse.